



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

7. Malaeæ publicè celebra[n]tur Xauerij gesta in Iaponia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

Indignus seruus Antonius Crimualis, hoc est Peccator: quod vero se ab honorificis Religiosa humilitas, si potest subducit; sin autem iis erubescit, velut immerenti exprobrantibus suam egestatem; hoc ipsum abunde in eo praestitit. Nam in gradum vocatus Spirituales adiutoris, cum ampla facultate priuilegiorum quae summi Pontifices, votorum quatuor professis iam tum indulserant, scriptis ad se ab Ignatio literis magna sane tanti filij veneratione Nouemb. 21. anno 1547. respondit anno proxime sequenti, & quarto Decembris, [sit semper Iesus cum omnibus. Placuit benignitati tuae, Venerabilis Pater, pro sua humanitate, me indignum licet, inter Spirituales Societatis adiutores admittere: ego quoad potero contendam satisfacere tuae expectationi, meque id Iesu Christi ope facturum confido; impar quidem tam alto gradui à cuius praestantia, longe omnino abesse me sentio, verum vt hoc iubendum putasti, sic mihi ad nutum vt paream incumbit, nec me adiutoribus accenses tantum, sed vocas etiam in partem Societatis bonorum, atque meritorum, vsum insuper eundem eius facultatū, praerogatiui iuris, tradis quo gaudet professi, sapienter monens eum adhibeam, *ad edificationem non ad destructionem.* Quod vbiicumque sim gentium, seruare in Domino statui, vtque cedant felicius omnia, quamuis olim Romae, mea Paupertatis, Castitatis, & Obedientiae vota Carissimo in Christo Petro Lucensi, tibi reddenda tradiderim & alibi sapius instaurarim, scias velim non modo Praeposito, professis & adiutoribus, sed cuius alteri de Societate famulares etiam operas obeunti fore me perpetuo subiectum Paucis denique interiectis, vnum, inquit, expecto solum, vt à M. Francisco Xauerio, siue alio qui possit, vsum obtineam earum facultatum quas mihi concedis, certus illas omnino perinde habere otiosas vt si nunquam mihi concessae fuissent, nisi eorum approbatio accedat.]

Quae librum claufere proximum, & huic principium dedere, seges fuere vberima diuinæ voluptatis, Xauerio ex Iaponia in Indiam reduci; subiugati Regi Christo reges, eiusque abluti sanguine; perductus ad illum ingens numerus animarum; Institutiones Sanctorum operum; magni ad fouendam, augendamque pietatem Christianorum praesidij expulsa ex Goae confinio, cum Brachmanis idololatria; noui Collegiorum ortus, & fundationes nouae; nouorum tum illinc tum & aliunde ad Societatem accessus operariorum; fructuosissimi nostrorum labores; perperfections ingentis meriti, mortes pretiosae. His tamen laetitiis duplex molestia interuenit, ex honoribus altera, quos sibi immodicos, Malaca Goam vsque delatos, pro roligioso suimet contemptu ægerrimè accepit: Altera grauior, ex inconsulto Antonij Gomezij ad iuuandos hominos primum quidem impetu, & feruore, tum ex contumaci eiusdem proterua. Xauerij aduentū magnis illic olim cultum honoribus venerabiliorum fecit praecurrens fama, & quae illum ornarunt. Praecesserant nuntij de fundamentis fidei Christianae in Iaponico imperio iactis; de expugnationis ab eo Bonziis; de summa eaque magnifica apud regem Bungensem

7
Malaca publice celebratur Xauerij gesta in Iaponia.

[faint text]

gratia; de auctoritate, ipsius miraculis religioni veræ apud barbaros parta. Hæc anno primum 1550 ineunte Aprili Malacam venerant, & quanquam generatim solum resciretur de noua Cangoximæ Christianitate, beatis auspiciis surgente, sed Petrus Sylua ei arci Præfectus, & rebus Xauerij familiaris sui, ac fidei prosperis studiosissime addictus, Christiani splendoris in Iaponiam ingressum ab Apostolo Christi, possessionemque illorum regnorum Christi nomine initam solenni pompa celebrarat; instituta Malacæ supplicatione omnium ordinum, & Magistratuum, sacrorum, ciuilium, & militarium ad B. Virginem de monte agendis gratiis, ob inductum ab ea, die Assumptæ sacro in Iaponiam Franciscum Xauerium, & regnum amplissimum filij eius imperio adiunctum, quod esset in multas prouincias antiquos Ecclesiæ propagaturum fines: supplicationem clauerat Res sacra, solenni & cantu, & ritu à Vicario peracta, diei reliquum & noctem consequentem occupant ignium iacula, & varij generis lumina, & flammæ festique ex singulis turribus fragores: pretioso vrbs vestita stromate, altaribus, odorum acerris, choris mulicorum distincta, turmisque puerorum gestiens Deo canentium, & castis vocibus magni Patris Xauerij laudantium nomen. Ex arce, portu, & nauibus explicata vexilla, explosiones tormentorum mutua, & digestarum lampadum nocturnus dies. Sed magnificentiæ huius primas partes egere Iapones quatuor ethnici, quos Malacam Apostolus miserat, vt splendorem viderent Religionis Christianæ. Hoc tam multiplici ac lato pietatis publicæ argumento valide incitati, nostraque edocti mysteria à P. Francisco Perez; ascendenti in cælum Christi die anniuersario, expiati sunt sacro fonte, manu Vicarij Malacensis. Harum fama gratulationum Indiam peruadens vniuersam, conciliauit vbique Xauerio in eam redeunti effusissimos honores, & eo ipsius modestiæ grauiores, quo pluribus titulis eius merito debebantur. Verum urbem Cocinum, expertus est sui obseruantior, quàm Societati beneuolam. Huius frigoris causa Antonius Gomez, qui exasperatos ciuium animos ab nobis alienauerat. Erat huic homini, vt alias attigi, Philosophicæ doctrinæ, & iuris canonum supellex amplissima, ingenium actuosissimum & velox; ardens salute animarum concionandi vis, violenti quoque impetus ad virtutem; qui magna multorum cum vtilitate in missionibus erumpent: cæterum sui, ad intolerantiam, arbitij tenax. Accedens enim ad Societatem ætate prouectior, affectus in eam tulerat crudiores, vt qui nisi à tenetis, parendi assuetudine domiti, vix mitescant. Hæc illum natia durties quam ad nos allatam, semper in se integram, & sui nimium dominam regnare passus est, illum tandem à nobis abscidit.

8

P. Antonij
Gomez im-
prudencia,
Goā, & Cocin-
um prouocat
contra socie-
tatem.

Nec minus damnofo feruebat genij sui æstu, quàm induruisset rigore cerebri, quodque hinc sequitur, impetu magis quàm ratione agebatur; quæ animi labes, sui vnus consilij adiuncta confidentia impegere hominem in offensiones plane cæcas. Missus enim à Simone Roderico in Indiam Goani Rector Collegij, etsi vix triennis in Societate, magna stam-
tim